VII. *Caſus rariſſimus. Viſus objectorum partialis, communicante Domino* Abrahamo Vater, *Prof. Med.* Wittemb. *R. S. S.*

FOemina mediæ ætatis, anno ſuperiori, a retro-pulſa, per balneum, & ſubſecutam refrigerationem, Coryza, unica nocte incidit in cataractam nigram, ſeu guttam ſerenam : nam mane e ſomno experrecta, uſu oculorum orbatam ſe ſentit, nullo extrinſecus in oculis vitio apparente. Poſt uſurpata vero medicamenta varia laxantia & ſanguinem purificantia, interpoſitis ſimul veſicatoriis, una cum decenti Diæta, viſus ſenſim rediit, ita tamen ut notatu dignæ viſus viciſſitudines, ac ſingularia in eo phænomena occurrerent. Primum enim omnes ipſi obvios homines, capite quaſi truncatos vidit, ſolo corpore abſq; capite in oculos incurrente. Succeſſu temporis, ceſſante hac obſervatione, objecta quidem tota, ſed quaſi per nebulam aut per rete vidit, & hoc ceſſante, maculas tamen & flocculos oculis obverſari percepit. Tandem affectus hic in viſum partialem, quo hoc ipſo tempore adhuc laborat, degeneravit. Nunc enim, utroque oculo aperto, & verſus objectum directo, illud quidem totum conſpicit: alterutro vero eorum clauſo, pars objecti, macula aut nebula rotunda tecta, videtur, quæ macula tanto major apparet, quo longius oculus ab objecto removetur. Prout autem oculus ſive dexter, ſive ſiniſter, occluditur, ſemper quidem media objectorum pars, at diverſa, obſcuratur. Ita ſi, exempli gratia, has tres voces in charta ſcriptas (*Ego ſum cæca*) intueatur oculo ſiniſtro tantum, pupilla verſus mediam vocem *Sum* directa, hæc in viſum non incurrit, ſed tantum

tantum duæ voces *Ego* —— *cæca* conſpiciuntur. Pupilla vero verſus vocem *Ego* directa, hæc evaneſcit, ita ut tantum —— *Sum cæca* videat. Quod ſi e contrario oculum ſiniſtrum claudat, & oculo dextro inſpiciat objectum, tunc medium quidem pariter obſcuratur, ita tamen, ut tantum pars quarta viſum fugiat, tribus partibus clare conſpectis. Ita ſi, exempli gratia, oculo huic objiciat has quatuor voces, in charta ſcriptas, (*Ego opto eſſe ſana*) tunc pupilla ad medium directa, omnes voces videt, præter vocem *opto*, quæ macula itidem rotunda obſcuratur, & videt ægra ita tantum, *Ego* —— *eſſe ſana*. Quoniam ergo ex hoc caſu apparet, maculam illam rotundam, qua pars objecti obſcuratur, eſſe fixam quidem, ſed pro varia pupillæ directione locum mutare, dubium videtur, utrum vitium in humore cryſtallino, an in tunica retina hæreat? In tunica quidem cornea nulla obſcuritas aut macula patet. Majoris vero momenti, ac explicatu difficilius videtur antecedens phœnomenon, ubi ægra totum hominis corpus, excepto tantum capite, conſpexit. Quamobrem hunc caſum Illuſtriſſimæ Societati Regali exponendum eſſe duxi, quoniam hic viam mihi parare videtur, ut multa utilia ad viſum illuſtrandum ex eo deduci queant. Dabam Wittembergæ Saxonum D. XX. Mart. MDCCXXIV.